



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 30. Gen. 1. De Pharisæo & Publicano.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

## MEDITATIO XXX.

G. I.

*De Phariseo, & Publicano.*

**C**ONGRUA. Quomodo coram Rege, qui crimen punire potest, & pro suprema potestate, & clementiâ illud potest condonare se gerere debeat reus.

PRÆL. I. Imaginari nos ipsos, criminum multorum reos, quibus Deus tamen justissimus æquus ac clementissimus non dedignatur accessum ad se permittere.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut cum sincerâ poenitentiâ, & corde contrito, ad Deum in orationibus possim accedere.

**P**UNCTUM I. *Phariseus.* MEM. Phariseus stans hac apud se orabat: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic publicanus.* LUC. 18.

INTEL. Consideremus multiplicem superbiam, cum despectu aliorum in oratione hujus Pharisei. REFL. Introspeciamus benè nos ipsos, & scrutemur, an superbia similis apud nos locum non habeat. Nam amoris proprii, & mundani rebellio, unde superbia oritur, est valdè subtilis, & incautos decipit.

VOL. Oremus Deum cum Davide Ps. 35. *non veniat*



*veniat mihi pes superbia.* Nam *Deus superbis resistit.* 1. Petr. 5. petam gratiam cognoscendi, & evellendi fibras peccati illius capitalis.

**P**UNCTUM II. *Publicanus.* MEM. *Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad Cælum levare: Sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18.

INTEL. Speculemur in hâc Publicani oratione, *cor contritum, & humiliatum.* M. 50. REFL. Pœnitentiam nostram interiorem cum hac componamus, ut sciamus, quid nobis desit.

VOL. Imitemur hanc humilem pœnitentiam: dicamus cum ipso: *Deus propitius esto mihi peccatori, & percutiendo pectus, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa, & cum Sacerdote in offertorio Missæ offerente hostiam, pro innumerabilibus peccatis, offensionibus, & negligentis meis.*

**P**UNCTUM III. *Sententia de utroque.* MEM. *Discor vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo.* Luc. 18.

INTEL. Perpendamus causam justificationis, quæ additur: *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* REFL. Videamus an similes simus Pharisæo, se exaltanti; an Publicano, se humilianti.

VOL. Cum intimo animi dolore, & perfectâ contritione, excitemus affectus, qui sunt in Psalmis pœnitentialibus: nominatim in Pl. 6. *Miserere mei Deus, &c. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies, &c.* COL.



COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, qui propter Superbiam nostram *Humiliavit semet. ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Philip. 2. Petamus gratiam S. Illuminationis, quâ cognoscamus peccata nostra; & gratiam sanctæ affectionis, quâ deploremus eadem corde contrito. RECOL.

## MEDITATIO XXXI.

G. II.

*De peccatis venialibus.*

**C**ONG. Quomodo homines non solum fugiant mortem, sed etiam quidquid ad mortem disponit.

PRÆL. I. Considerare nos ipsos tamquam multis vulneribus, & incommodis, & morbis animæ affectos: cum quibus etiam, citra periculum mortis est molestum vivere.

PRÆL. II. Petere gratiam cognoscendi mala peccatorum venialium, eaque vitandi.

**P**UNCTUM I. MEM. Revocemus in memoriam innumerabilia peccata nostra venialia, quæ contigerunt cogitatione, verbo, opere, commissione, ac negligentia.

**P**UNCTUM II. INTEL. Ratiocinemur causas peccatorum venialium easdem esse, quæ sunt peccatorum mortalium: quando enim carnis, sensuum, amorisque proprii, ac mundani rebellio,